




1161.











HVN GARIÆ PERI-  
clitantis Legatorum,

RNDI DOMINI DEMETRII  
NAPRAGI, ECCLESIARVM AGRIENSIS  
& Orodienfis Maioris Præpositi: & Gene-  
rosorum Dominorum Nicolai Zokolij  
de Kis Varda , & Michaëlis Kelle-  
mesi Vicecomitis Comi-  
tatus Sáros,

AD

Serenissimum Potentissimumq.

SIGISMUNDVM TERTIVM, POLONIAE  
ET SVECIAE REGEM, MAGNUM DUCEM  
LITHVANIAE, RVSSIAE, PRUSSIAE, MASO-  
VIAE, LIVONIAE, SAMOGITIAEQUE: ET  
INCLYTOS REGNI POLONIAE, MAGNIQ.  
DUCATVS LITHVANIAF, &c. ORDINES,

O R A T I O,

In Comitiis Generalibus Cracouiæ habita, die  
2. Mensis Martij, Anno Domini,  
M. D. XCV.



Psalm. 34.

APPREHENDE SCVTVM ET ARMA,  
ET EXVRGE IN ADIVTORIVM  
MIHI.



HVNGARIÆ PERICLI-  
TANTIS LEGATORVM  
Oratio.



ACRATISSIMVS  
Romanorum Imperator RVDOLPHVS  
II. &c. Dominus  
& REX noster clementissimus , co-  
mitia ad decimam  
præteriti mensis Fe-  
bruarii diem omni-  
bus Hungarię statibus & ordinibus Posonii ce-  
lebranda indixit. Quò dum vniuersi proceres  
confluxissent , antequām felicia auspicia co-  
mitiorum regni nostri posuissent , & antequam  
ad alium regni negotiorum tractatum venis-  
sent: primò omnium nos ad Vestram Serenita-  
tem , atque ad omnes huius incliti regni ordi-  
nes , tanquam DOMINOS , amicos , & vici-

nos, propriæ salutis atque incolumentatis & cō-  
munis Reipub. Christianæ permansionis ama-  
tores mittendos decreuerunt, & quædam per  
nos communi omnium voto, & suffragio huic  
amplissimo ordini dicenda, in mandatis dede-  
runt. Atque in primis S. Regiæ M. demissa ob-  
sequia, & obseruantiam, tum omnibus huius  
potentissimi ordinis proceribus, prompta, &  
parata officia, omneque bonæ vicinitatis stu-  
dium deferentes, in rebus agendis prosperita-  
tem ac felicitatem, regno isti florentissimo pa-  
cem & tranquillitatem, fortunæ constantiam,  
denique omnibus & singulis vitam diuturnam  
salutemque precantur: nosque de rebus, peri-  
culis, extremoque ferè excidio afflictissimi re-  
gni Hungariæ, in hoc pulcherrimo, ornatissi-  
moque vestro confessu, breuiter dicturos; vt  
attentis & benignis auribus exaudiatis, officio-  
sè petunt.

Hungaria quondam regnum magnitudine,  
elegantia, vbertate florentissimum, camporū  
omnia pecorum genera sponte producenti-

um

um, spatio latissimum, fruges omnigenas, quas  
ad usum humani generis prouidentissimus De-  
us ex terrae visceribus, modicis fatigem labori-  
bus educit, uno aut altero aratro eam colen-  
tibus copiosissime producit: & saepè dum sili-  
ginem recipit, selectissimum triticum effun-  
dit; & quidem tanta in abundantia, ut cumulis  
& aceruis, non horti, non horrea, non pagus  
integer, immò vix campi ipsi sufficiant: eadem  
terra, eodem anno, in iisdem pascuis greges pe-  
corum pascit: fœnum copiosissime largitur:  
tandem aratro sulcata, diues fructibus, messo-  
res lætos excipit. Accedit tanta ouium, boum,  
omnisque generis pecorum multitudo; ut v-  
nius tantummodo oppidi, non dico sigillatim,  
sed greges numerandi frustrà laborem suscipi-  
as. Et quamvis vicinas prouincias & regna sin-  
gulis annis aliquot armentorum millibus refi-  
ciat, suisque etiam incolis sufficientem carni-  
um copiam præbeat; integros tamen campi &  
pastores habent greges: non decrescit eorum  
numerus: nihil accolis defit: non conquerun-

tur lanij , ac veluti sylua feris plena , & externis  
venatoribus , edicto proprij possessoris publico  
prohibita , apries , ceruis , damis , leporibus , & a-  
liis quā plurimis feris , cùm ad necessitatem ,  
tum ad voluptatem hominum procreatis re-  
fertissima est ; sic per totum ferè regnum Hun-  
gariæ pecorum innumerabilis copia diffundi-  
tur . Quid commemorem sinuosos , profun-  
dos , latos , rapidosq ; fluuios ? quorum , vt ple-  
riique fide digni Historici tradunt , tertia pars va-  
riis piscium generibus decurrit ; Tibiscum , in-  
telligo , Danubium , Sauum , Drauum , quibus  
Hungaria , veluti platea quēdam contra irruen-  
tes hostes ferreis catenis cincta , hostem tutior  
& securior speculabatur . Taceo montium al-  
tissimorū admirabilem fertilitatem , qui quā  
præstantia claritate , odore , suavitate & fra-  
grantia progenerent vina ; testes sunt cùm a-  
liæ vicinæ nationes , tum Poloni ipsi , qui sin-  
gulis annis horum beneficio recreantur , ornā-  
tur , exhilarātur . Prætereo cùm feris varij gene-  
ris , tum ære , cupro , stanno , argento , auro  
deniq ;

deniq; , aliisq; preciosissimis metallis superbos  
montes. Quod enim aurum huic nostro , vel  
puritate , vel splendore , vel pondere compa-  
randum ? Regnum verò ipsum circumiacenti-  
bus vndique prouinciis , vtpotè Transiluania ,  
Moldauia, Valachia, Bulgaria , Rascia , Dalma-  
tia , quasi fortissimis quibusdam propugnacu-  
lis munitum , arcibus magnificè extrectis , ciui-  
tatibus , oppidis , frequentibusque villis & ma-  
ximis & populosis pulcherrimum : Cardinali-  
bus , Archiepiscopis , Episcopis , Ecclesiasticorū  
denique omnium frequentibus ordinibus , ho-  
noribus , titulis , atq; dignitatibus , templis , aris ,  
sacerdotum collegiis , amplissimisq; redditibus  
ditissimum : religionis integritate , pietate , di-  
uino cultu , ceremoniis , atq; omnium virtutū  
cumulis ita splendidum , ita ornatum ; vt to-  
tum fere orbem Christianum ad naturalem sui  
reuerentiam & admirationem rapuerit : ad pi-  
etatis , fortitudinis , hospitalitatis , liberalitatis ,  
pudicitiaeque exemplum incitârit. Quæ enim  
gens vnquam in sua patria tam diues , tam o-  
pulenta

pulenta , generisq; splendore tam præclara extitit, quæ aliquando ad honores titulosq; Hungaricos non aspirauerit ? Extant apud nos vñq; ad hodiernum diem multorum illustrium virorum nomina , qui relictis paternis laribus , solo Hungariano contenti , eiusque opibus ac diuitiis illeæti vitam potius , quam ut in propria redirent amiserunt . Sed quomodo proceres amplissimi mutatum est aurum ? quomodo obscuratus color noster ? quomodo deiecta pulcherrima capitis nostri corona ? Eheu , in miserabilem luctum versa est cythara nostra : prostrata , conculcata , ac pene deformata pulchritudo nostra . Eheu , quomodo pudicissima letissimaq; virgo inauribus , monilibus , corona speciosa , gemmis & vestibus preciosissimis olim exornata , iam penitus denudata . Nostrane obsecro socordia , vel Christianorum dissidiis discordibusq; animis , vel certè Hungarorum peccatis id ita commerentibus , impuræ , foedæ , barbaræq; Turcorum & Scytharum genti violanda relinquitur ? O tempora nunquam

expe-

expectata: O fortunę instantiam, ô miserandam felicitatis nostrae mutationem nunquam antea praeuisam, sed ne cogitatam quidem. O nostram simplicitatem, qui hosti multis cladi bus, virtute maiorum nostrorum fracto credidimus. Audite quæso, nobilissimi ordines, in quantam, quamvè miserabilem calamitatem & angustiam leuitas, inconstantia, perfidiaq; Turcica nos præcipitauerit. Nobilissimæ Hungariæ regiones, vasta solitudine & situ fœdè horrent: vbi, quot agros, quot vrbes, quot templa, quot aras, pietatis loca, profanè & sacrilegè teterrimi hostis manus, his tantùm elapsis temporibus, euerterunt: nec euerterunt solum; sed in abominandam Mahumetis superstitionem mutauerunt? Nulla domus in Hungaria luctu, & mœrore vacat: liberi ante parentum ora, parentes in conspectu liborum, honestissimæ matronæ & pudicissimæ virgines, pars dictu miserabile, atrocissimè ceduntur, pars ad explendam turpissimam insolentissimi hostis libidinē, in miserandam func-

stamq; seruitutem rapiuntur : Sacerdotes Domini in ipsis diuinis sacrisque operibus cæduntur , & impiè immanissimeq; trucidantur ; eorumque innocentia sanguine , & cerebris gladio hostili dispersis , templa , aræ , & sacræ vestes , quibus in tremendo sacrofæcti sacrificij opere vestiuntur , inaudita atrocitate commacculantur . Quot incendia , quot calamitates , quanta mala superiore quoq; anno acceperimus ; utinam nobis audisse potius , quam spectasse , & proh dolor , pertulisse licuisset . Nunc etiam vniuersam Hungariam miserrima seruitus opprimit : neq; focos , aut aras habemus : neq; patriis bonis frui , neque fungi honoribus in posterum fas erit ; nisi benignissimum seruatoris Opt. Max. numen , & externa gentium , vicinorumq; regnorum indomita virtus præstò illi fuerit . Circumuallatum regnum Hungaricum munitissimis propugnaculis , nimirū vtraq; Misia , Dardania , Dalmatia , Illyrico , Raſcia , Bulgaria fuerat : quibus omnibus per fraudem hostilem amissis , nunc iam squalida &

mœsta Hungaria seipsam luget. Cùm ipse me-  
cum reputo prouincias, quibus spoliati sumus;  
vix profectò temporo à lachrymis, cùm recor-  
datione malorum quæ patimur, tūm verò ul-  
timi exterminij, quod, Iaurino naturà & arte  
munitissimo, tum aliis vicinioribus præfidiis  
occupatis, haud dubiè certiicibus nostris immi-  
nebit. Cæterè prouinciæ nobis ademptæ, ve-  
tigalia & fines nostros minuerant, sedesq; re-  
gias occupauerant: at capto Iaurino, hostis im-  
manissimus, non Pannoniæ tantum reliquias,  
sed, prôh dolor, omnium regnorum, vicinorū,  
& prouinciarum fines, audacissimè penetra-  
uit, atq; S. Romani Imperij claves manibus fe-  
rè conclusit. Duo tantum restant in Hungaria  
anguli, non ita ab hoste tuti quàm integri: al-  
ter meridiem versus, alter septentriones versus,  
quos hostis truculentissimus, dilatandarum  
suæ tyrannidis finium audissimus armis, opi-  
bus, & numero milite, afflictissimis Hunga-  
rorum rebus, longè superior, vnica ex Thracia  
copiarum suarum expeditione, suo imperio &

nefandæ crudelitati mancipabit. Sed quiescet tandem hostis dirissimus: & Hungaria potitus, solaque illa contentus, in Thraciam victor ad ocium redibit: neq; regnis & prouinciis, conterminis praesertim, in amicitiam suam semel receptis bellum mouebit. Non quiescet, mihi credite non, cruenta bellua: tanta enim ipsius est rabies, tanta impudens arrogantia, tanta auaritia, tantaq; temeritas; vt exiguæ felicitatis successu elatus victorię terminum orbis terrarum finem statuat; & maiorem, in sanguine Christianorum profundendo, quam in finibus amplificādis voluptatem ponat. Speculabitur statim, impasta rabidaque fera, tanquam ex vicina specula, proximam, & per primam occasionem oblatam prædam. Illinc Austriam, Carinthiam, Stiriam, Sclauoniam, Italiam; hinc Morauiam, Silesiam, Poloniā, & vicinas prouincias. Ac proinde REX Sereniss. Illustrissimiq; Principes, cæteraq; clarissima Poloniæ lumina; tria à vobis vti sociis, amicis, & vicinis, omnes omnino Hungariæ ordines, ve  
stra

stra pietate, amicitia, & vicinitate freti , amicè  
& officiosè petunt. Primum, velitis aliquot au-  
xiliares copias vestris propriis sumptibus con-  
scriptas in subsidium periclitantis Hungariæ ,  
statim primo, vere expedire. Alterum, non tan-  
tum propriis sumptibus conscripto milite no-  
bis auxilio vos esse, sed & si quos milites ex am-  
plissimo hoc regno , ac vicinis eius prouinciis  
aut nostris , aut aliorum christianorum Princi-  
pium expensis educere conati fuerimus ; eis li-  
beram in Hungariam proficisciendi facultatem  
concedere. Deniq; nouo, perpetuoque fœdere  
nobiscum sancte pacto , vestram in armis , in  
copiis , aliisque contra manifestum Christiani  
nominis aduersarium belligerandi facultati-  
bus societatem, virtutemque heroicam , qua  
apud omnes gentes mirifice excellitis, cum no-  
stra quamvis parua & exigua manu coniunge-  
re. Consideranda enim in primis vobis est, no-  
stra & patriæ nostræ conditio, extremum quod  
ex interitu nostro vobis immineat periculum ,  
tum huius sanctæ societatis nouique fœderis

summa necessitas, tum etiam hostis importunitas, tum etiam expedita copiæ perfidia, incōstantia, & in augustissimum I E S V Christi nomen & gloriam insitum illi à natura odium. Nos christiani sumus, socij, vicini, & amici vestri. Perpendite, obsecro, & reuocate in memoriam, inter Hungaros & Polonos, mutua ac alterna ex confœderatione antiqua auxilia & pacta sanctissima: & pro florentissimi quondam regni Hungariæ libertate & defensione maiores vestros, regesq; huius incliti regni potentissimos, sanguinem & vitam vtrò patrum memoria profudisse. Moueat vos, Seren. Rex, saltēm sancta, pia, ac penè diuinitus nuper instituta inter vestram maiestatem & Principes nostros affinitatis coniunctio, ex qua non tantùm capitum seu principum, sed & regnum & membrorum accessit compaginatio. Ponat ob oculos Maiestas V. curas, vigilias, expensas infinitas, quas in gratiam Reipub. Christianæ Imperator christianissimus, V. Maiestatis affinis, amicus & vicinus, dies & noctes facit: Nihil

hil enim ipse, quod ad conseruationem & in-  
columitatem nostram pertinet, prætermittit.  
Nihil est, quod nostra causa strenuo & inuicto  
animo non subeat. Non parcit laboribus, non  
thesauro, non denique sanguini & vita. Neq;  
vos Senatores ampliss. cæterique incliti hu-  
ijs regni ordines, paucitas nostra, vires attritæ,  
exiguæ regni nostri iam iam labentis reliquiae,  
ab hac sanctissima confœderatione, mutuaq;  
belli ineundi societate deterreat. Pauci sunt  
Hungari, verum est; sed non deest illis præpo-  
tentissimus Deus, cui tantum est in paucis, qui-  
bus benedixit vincere, quam multos quibus  
maledixit profligare. Non deest nobis usitata  
& quasi innata in campestribus præliis exerci-  
tatio. Non defuerunt annis quoq; superiori-  
bus de atrocissimis hostibus, viribus & nume-  
ro, armisque potentissimis gloriosissime parte  
victoriae: Non, inquam, defuerunt. Quam feli-  
citer enim in Sclauonia apud Sizek cum Ha-  
zon Bassa pugnatum sit: quam turpiter Bassa  
Budensis apud Albam Regalem cum selectissi-


mis

mis prætorianorum militum cohortibus fusus,  
fugatusque sit, nonné audiuitis? Quid com-  
memorem memorabilem illam ac pulcherri-  
mam victoriam apud arcem Hatuan in campo  
Turano ex Beglerbego Græcie, Bassis Budensi  
& Tœmesuariensi, exigua manu reportatam?  
Nonné etiam apud arces Filek & Seczien eius-  
dem Beglerbegi, Bassæ vtriusque Budensis &  
Tœmeosuariensis auxiliares copias, nostra ca-  
stra, eadem vel sequenti nocte, hostiliter inua-  
suras, primo statim impetu, ad internacionem  
propemodum omnes deleuimus, extinximus?  
En maiorum nostrorum exempla in posteris  
quoque suis luce meridiana clariora. Hunga-  
ri diu ab annis circiter septingentis pro sua &  
communi Christianitatis quiete excubias con-  
tinenter agunt: fines christianorum non sine  
cruentissimo certamine tutantur; sœua tamen  
profecto mercede: quoniam in alendis copiis  
diuersis, & per tot hostium frequentes erupti-  
ones, spolia & cædes, tot jam annis labentibus,  
omnes Hungarici regni ordines defecerunt.

Iam

Iam deuicta tota Hungaria, quę gens tot anno-  
rum spatio oppressa? quæ natio tot cladibus  
vexata? quod regnum tot incendiis, calamita-  
tibus, ferro, carceribusque afflictum, tam  
potentem & inquietum hostem infraeo con-  
stantique animo, tam diu sustinebit? In hoc  
nobilissimo Poloniæ regno, virtutem in armis,  
magnanimitatem & tolerantiam in aduersis,  
patientiam in laboribus, belli facultates, opes  
ingentes, arma vicitria, innumeram variarum  
gentium multitudinem, omnemque belli ap-  
paratum, quis vel mediocri iudicio præditus  
non videt? Sed regnum hoc non ita à natura,  
vt Hungariam montibus vndique, fluminibus  
profundis, ciuitatibus & arcibus, præsidiisque  
contra hostem arte multisque laboribus mu-  
nitum esse, quis vel modice Polonicarum &  
regionum & rerum peritus non animaduer-  
tit? Quare, si ex Hungaria in Poloniam acces-  
sum sibi nactus fuerit; non secus atque accipi-  
tres, aues rapacissimæ, caueis inclusæ, & post-  
modum dimisæ, in spatio so hoc aere libero vo-

latu prædam exercent , per totam Poloni-  
am imponè per tot campos effusus vagabitur ;  
per tot ciuitates & oppida , ex materie lignea  
ferè constructa , incendio & depopulatione  
grassabitur. Ex his autem arcibus, non tam mu-  
nitis, quàm elegantibus , quas terras , quosque  
Poloniæ fines intra exiguum temporis inter-  
uallum non peruadet ? Considerate itaq; pro-  
ceres inclyti, qualis clypeus , qualisque murus  
fuerit hactenus Hungaria Poloniæ; & quantum  
præstiterint arma Hungarorum cum Ortho-  
doxæ fidei, tūm maximè trāquillitati vestræ , &  
quantū deinceps salua præstatura sint. Nolite  
floccifacere & quietem vestrā , & fortunas ,  
quæ totē ex salute Hungariæ pendent. Nolite  
repellere sacrosanctam perpetui fœderis soci-  
etatem, nunc vobis amanter oblatam. Et nos  
aliquando hac gloria , hac pulchritudine , hac  
admirabili confessus vestri elegantia , his tem-  
plis, his palatiis, hisq; superbis turrib⁹ fulsimus.  
Eadem vos fata , eadem fortunæ conditio &  
casus , nisi tantis in tempore occurratis malis ,  
manebunt. Hungaria igitur vobis in primis



curæ esse debet. Hungaria vobis copiis quām  
maximis, Hungaria, inquam, quamprimum  
iuuanda est: ibi obstruendum hosti iter, si vos  
& vestra omnia salua esse vultis: ita regiones  
vestras integras facilius ex lōginquo tutari po-  
teritis; quām postea ex propinquo laceras refi-  
cere, tueri, defendere. Nunc iuuate socij, nūc  
arma capite, dum hostis potentia minor, dum  
longinquier fines vestros non pertingit. Nunc  
nunc, vestra virtute bellica, truculentissimo or-  
bis Christiani inimico nobiscum occurrite, cū  
Hungarorum vires minus attritæ, nosque su-  
perstites, socia arma vobiscum capeſſere pos-  
sumus. Nonné gloriosius & laudabilius erit, si  
lætior simul ac certior nobis, firmissimo socie-  
tatis & vicinitatis vinculo confœderatis, ex ho-  
ste triumphus, & vberiora spolia contigerint;  
quām vt afflictis nobis & perdita Hungaria in-  
opinata vos solicitude de salute regionum for-  
tunarumq; vestrarum incautos corripiat? Ca-  
uetе prudentissimi fortissimiq; heroës, ne idem  
& vobis eueniat, quod olim Græcis, primò

exiguam opem recusantibus, tandem non supellecilem modo; sed & vitam offerentibus amissa Constantinopoli accidit. Quid enim turpius, quid toedius, quam non præuisis calamitatibus, quæ certissimæ sunt, excœcata mente, pertinaciter in manifestissimum periculum, seipsum præcipitem agere? Quid rursum pulchrius, quid prouidentius, quid felicius, quam in alieno periculo doctum & cautum se exhibere? Videtis Christianum, amicum, & vicinum regnum, concepto igni flagrare: videtis flamam longè funestissimam penatibus vestris, iam iam, nisi occurratis, imminere. Ab aliisne igitur, ut restinguatur, exspectabitis? utinā Scythicum quoq; illud incendium in finibus Hungariæ nuper exortum per nostros comprimi, & restinguui potuisset. Non fines Austriaci ingenti terrore perculsi acceptas iniurias, inflictaque lamentarentur vulnera: non iam in Hungaria tanta solitudo, vastitas, cædes, tot infantulorum crudelissimus interitus, tot lachrymæ, tanique parentum pro liberis partim dire cæsis, partim

partim in fœdissimam seruitutem abreptis fusis  
ciulatus: Non tot oppida, tot curiae nobilium  
pulcherrimæ ab incolis desertæ, palatiaq; illu-  
strium magnifica, suppetias alienas expeterent:  
neque Turca victoriam ex Christianis, qui ante  
Tartarorum in fines nostros excursionem  
copiis Sinan Bassæ, vel pares, vel superiores fu-  
erunt, vllam superbis in Thraciam reportasset.  
Quid? imò nec Iaurinum cepisset. At postea  
tanti hostis perniciitate, qua in depopulationi-  
bus, tanquam volatu quodam celerrimo uti-  
tur, distracti & perturbati minus sufficientes  
extimus, quas & nunc in regno strages Tarta-  
rus faciat, quam miseranda, & à christiano ho-  
mine meritò deploranda, suæ crudelitatis ve-  
stigia relinquat, quotidie cum suspiriis & la-  
chrymis, ò afflitti, cernimus. Verùm resarcire  
istud malum, fortissimi heroës, poteritis: & hāc  
pestem, inter omnes gentes abominandam, &  
execrandam tollere facile, innocentemq; san-  
guinem, quo impius hic hostis sacrilegas suas  
manus commaculauit, vindicare si volueritis,

valebitis : nisi placuerit fortassè, hostium perfidiis blandimentis , adulationibus, fraudulentis induciis , & iniquissimo ipsorum fœderi fidem habere ; dū florentissimo huic Poloniæ regno, sub specie amicitiæ , & pacis inconstantissimæ simulatione , perpetuam pacem & tranquillitatem promittunt. Nolite, ordines incliti, nolite hosti nefario & perfido, qui dum Christianos fide & amicitia sua decipit , iam certissimā sibi salutem eamq; interminabilem cōcessam esse credit, aures, animosq; tam facile p̄ebere. Parcit lupus ouī, & nōnunquam etiam simulata amicitia blanditur, adulatur; quia p̄dē ab ripendæ opportunitatem nondum habet: verūm vbi occasionem vel exiguam nanciscitur, illicò rabidam voracitatem in miseram ouiculam exercet. Ita nos maiorem regni nostri partem amisimus : amicitiæ namq; & fucatis pollicitationibus fidei q; Turcarum nimium credentes, tuti, securi, sub induciis , in pace viximus : illi autem nulla à nostris iniuria lacepsiti , quibusuis iniuriis leuiusculis falsò prætensis oppor-

opportunitateque ex nostrorum otio capta,  
contra omnem amicitiae legem & sacrosanctam  
icti foederis pacem, contra omne ius gentium,  
in vindictam, ut hostes turbidi, inquieti, im-  
manesque exarserunt: regiones nostras in-  
cendio & ferro vastarunt: arces admotis tor-  
mentis bellicis expugnarunt: fines suos quam  
latissime potuere cum maximo regni nostri  
detrimento dilatarunt; vel certe, ubi aperto  
Marte inuadendi modus ipsis defuit, technis,  
machinis, arte denique plusquam Pelasga,  
nostris ad vnum trucidatis, praesidia nostra,  
munitiones nostras in suam potestatem rede-  
gerunt. Deplorant hanc ipsorum perfidiam  
multa Hungariæ castra, Simon Tornia, Dom-  
bo, Dobrekeoz, Ozora, Kaposuyuar, Babol-  
tsia, Korothna, Buiak, Zonda, Dregeli, Fi-  
lek, Zeczien, Zolnok, Hatuan, Deuin, Kek-  
keo: deplorat Croatia vniuersa: deplorat  
Sclauonia pars maior: deplorant deniq; quam-  
plurima huiusmodi loca munitissima; quæ sub  
induciis istorum infidelibus, astu & fraudulen-  
tia

tia occupata sunt. Hos ipsos eorum callidos astus, & fraudes iampridem tota luget Europa. Neque Polonia omni ex parte istius calamitatis immunis est: nonné tam vetera quam noua fœdera sancte vobis cum pacta, non superiore saltem anno, per transitum & depopulationem Tartarorum immanissimam, verūm etiam tertio ab hinc anno egressu, & potentia Beglerbegi impius & perfidus Turca rupit, violauit, confregit? Tanta est hostis istius nefarij leuitas & perfidia. Vindicate igitur hanc atrocitatem, & cum Christi IESV Domini nostri hoste manus conserite. Doleat vobis iactura & pernicies Christianitatis: occurrant arma vestra tot malis & periculis. Vestram opē implorant pueri in campis vagientes: vestra auxilia expetunt cadavera christianorum per agros crudelissimè passim iacentia: vestras suppetias viduæ lectissimæ, & virgines pudicissimæ ad inauditam inexppletamque libidinem raptæ orant. Vos socios & vicinos Hungaroru regio & terra afflictissima, socrorum & vicinorum

rum vestrorum sanguine copiosissimo inebrata , vindices & iustissimos vltores exposcit. Vos denique ad perpetuum foedus , ad armorum victoriarumque , ac omnis fortunæ , tam aduersæ quam prosperæ societatem inuitat. A vobis præsidium Hungaria extensis brachiis , quæ Poloniam tot annis , quasi clypeus & murus aheneus , animosè defendit , flagitat , orat , depositit. Vobis ipsa , & posteris vestris , constas immobileque foederis , vicinitatis , bellicosæq; contra communem hostem societatis vinculum , vltrò , amanterq; defert. Quòd si non pietatis studium , non zelus fidei , non amicitiæ & vicinitatis antiqua iura , neq; nostra hæc iusta , amica , legitima , mutuaque consuetudo , in hanc summe necessariam sanctissimamq; expeditionem vos mouent & armant ; moueat saltem te Sereniss. REX , vosq; ornatissimi proceres , gloria , sacrosancta belli societas , necessitas denique , cui omnes sapientes parent. Regum namq; & principum sceptra & diadema ta gloria bellicis virtutibus parta exornantur.

Quid enim, ut Iulius Cesar, toto terrarum orbe  
ob res præclare à se gestas celeberrimus, gloria  
suspiciendus esset, effecit ? virtus bellica : quid  
Pompeium, Scipionem, Hannibalem, Alexan-  
drum Magnum ad imperium totius orbis aspi-  
rantes incitauit ? virtus bellica : quid Carolum  
magnum, Carolum quintum, Ioannem Cor-  
uinum, regni Hungarię quondam gubernato-  
rem fidelissimum, Matthiam Regem inuictissi-  
mum, & alios complures præstantissimos re-  
gni nostri heroës, ad bella, infracto inconster-  
natoq; animo, suscipienda pro Christianæ Rei-  
pub. salute & conseruatione, ad quævis peri-  
cula subeunda tantopere incendit ? virtus bel-  
lica : quid Casimiro, Vladislaos, huius floren-  
tissimi regni glorioſa olim germina, per totum  
vastissimi orbis huius spatium, inter tot gentes  
celeberrimos laudatissimosq; effecit ? virtus  
eadem bellica : quis vnquam magnanima  
heroicaq; natura exornatus, pro gloria con-  
ditionis suę, proq; nominis Christi celebrita-  
te, vitæ necisq; periculum aliquando exhori-  
ruit ?

ruit? quid rursus haclaudabili societate, in qua  
religio, fides, æternaq; Dei Opt. Max. symbola  
defenduntur, pulchrius, quid amabilius, quid  
suauius? Christus pientissimus Pelicanus san-  
guinem pro nobis nudus fudit, nudus pro cō-  
muni salute, erecto crucis trophæo cum hoste  
truculentissimo congressus est, sanguinem su-  
um vitamque pro vestra pace & tranquillitate  
profudit: vos verò eum, eiusq; gloriam & ho-  
norem defendantibus, hostibusque illius bel-  
lum mouentibus, auxilio & societate vestra ad-  
esse non vultis? Ille inimicis & humani generis  
hostibus vltrò bellum indixit: vos autem per-  
fidis & teterrimis eius aduersariis, sanctissimū-  
que nomen & diuinitatem eius continuè bla-  
phemantibus, armis occurrere recusatis? Sed  
quid hæc amplifico, dū preciosissima pulcher-  
rimaque hæc munera cælitus vobis data, qui-  
bus exornati estis, sponte vos cōtra tam imma-  
nem truculentumque Christi Domini hostem  
impellant & excitent, atque adeò necessitas  
ipsa etiam nolentes trahat. Malo enim vos cō-

siderare, quām fāndo ominari, qualis Poloni-  
am periclitante Hungaria fortuna maneat.  
Horret animus admonitione eorum, quæ ven-  
tura sunt, nisi huic incendio maturè eatur ob-  
uiam: omnia mala, quæ nos passi sumus, & eti-  
amnum patimur, vestris capitibus, & fortunis  
imminent. A Turcis dirissimæ seruituti, viri  
mancipabuntur: pueri, foemine, puellæq; pro-  
miscuè ad stupra rapientur: ac cùmparum pro-  
derunt lachrymæ; tum dolebitis, dum licuit  
non iuisse huic incendio obuiam. Non cre-  
diderunt hæc olim futura Græci, non Mace-  
dones, non Dalmatæ, non denique reliquæ  
nationes, quæ nunc omnes miseram seruiunt  
seruitutem.

Rumpite igitur moras, Serenissime REX,  
& vos ornatissimi proceres: & cùm iam vos  
necessitas ipsa cogat, arma contra infensiſſi-  
mum hunc hostem, vestrūmque sanguinem  
ſitientem capessite; nostrūmque fœdus, obla-  
tamque amicitiam, quam hodierno die vobis  
noſtri offerunt, syncero libentiq; animo ac-  
ceptate,

ceptate , admittite , confirmate , & cum summa nominis vestri gloria annalibus vestris inferite. Quod si feceritis, Hungariam longo iam situ squalidam pristino decori restituetis , ac immanissima seruitute tot annis oppressam in libertatem vindicabitis: immaculatam Christi prepotentis fidem pro execranda Mahometis tabe plantabitis : pacem pro bello , cultum diuinum pro armorum cura , iustitiam pro iniuria ; & cum diuini numinis certissimo auxilio , diu ex hostibus desideratam victoriam nobiscum reportabitis : Hungaricam gētem perpetuō vobis deuinctam , confoederatam , & in omnibus vestris fortunæ & vitæ periculis auxiliarem habebitis : vestre deniq; genti tot Illustrium historicorum cōmendationibūs & scriptis celebratę decus , gloriā , nomenq; immortale , nulla vñquam posteritatis memoria aut temporis iniuria delendum , inter omnes orbis Christiani populos & nationes comparabitis.

Dixi.

AD SERENISS. SIGISMVNDVM  
TERTIVM, POLONIAE ET  
SVECIAE REGEM.

&c. &c.

Nicolai Zokoli, de KisVarda.

Hac sunt Pannonidos patriæ tristis sima nos tra,  
Iam iam labentis uota precesq; tibi,

Rex uicine malis, fer opem : nam flamma propinquat  
Sarmatiæ; nos tris, Rex pie, disce malis.

Flammas uicino conceptas igne moratur

Intæc ta arsurus qui sua tec ta cupit.

Perfurit Odrysius glady immanibus hostis,

Et quatit Ungarici moenia pulchra soli.

Barbaricis aras manibus funestat, honores

Diuorum sacros impietate premit :

Omnia

Omnia succedit, uastat, debellat, inundat  
Vulcano, telis, Marte, cruore, Geta.  
Tolle decus regni, Regum fortis simile, sceptrum,  
Et prosterne hostis colla superba trucis.



## CRACOVIAE,

In Officina Lazari, Anno Domini,

1595.

## CORRIGENDA.

Fol. 9. ver. primo : instantiam, lege, inconstantiam.  
Fol. 14. ver. 2. lege, expeditæ copiæ perfidia,

Q

o r l i g e n d v

Tot. 14. 7er. 2. Iedc excepit copia petitus  
Tot. 14. 7er. 2. Iedc excepit copia petitus

PAVLI FORRO  
TRANSILVANI,  
ILL<sup>mi</sup> D.D. ANDREÆ S.R.E.  
TIT. S. ANG. CARD. BATHOREI,  
Episcopi Varmiensis, &cę. &cę.  
clientis humili*mi*,  
οἰωνοπία.

Vix ardentis adhuc rutilantia lumina Phœbi  
Portitor ad veris festinans senserat Helles  
Temporū, cùm virtute potens, & Marte superba,  
Diues agri, diues pecoris, fuluiq; metalli,  
Piscosis ornata vadi, & flore virorum  
Pannonis, ad fortēs, legatos, ora, Polonos  
Paciferæ ramis ornatos misit oīuæ,  
Fœdere qui inter se sōcient duo regna perenni,  
Et renouent sanctum cognati numen amoris,  
Iusta parent armis Rhodopeio bella Tynanno,  
Publica frangenti iuri & sacra fœdem pacis:  
Turrigenis populanti arces, monumentaq; Regum  
Priscorum, & pia templa Deūm, sacrosancta q; sacra,  
Vastantiq; feris Hunnorum insultibus agros;  
Qui putat omne nefas sibi fas, atq; omne nefandum  
Illicitum, licitum esse; pios dum cæde madenti  
Christiadum cætus, prō detestabile monstrum,

Prosternit, perimit Maeotidē sœuius ari:  
Sœuius & Procruste truci, & Busiride sœuo,  
Sœuius & Bassō, & Phalari, diroq; Nerone.  
Vester bonus igitur viget, æternumq; vigebit  
Legati Ungarici, afflictis succurrere rebus  
Quæis patriæ mens tanta fuit: Quæ præmia linguae  
Demetri auriflæ capies Antistes honore?  
Ungarie Cicero, qui prouida pectom Regis  
Sarmatici, & magnum flexisti voce Senatum.  
Quæ vobis unquam defensi munera ciues  
Eximij illustresq; viri dare digna valebunt?  
Quæ merces poterit vestro æquivalere labori?  
Sarmatas heròs, claros præstantibus armis,  
Maiorumq; bonis & nobilitate potentes  
Ad patriæ auxilium, post fœderu pacta vocatis,  
Ut consanguineos nutantes vulnere ciues,  
Atque iugum Turci pridem crudele ferentes,  
Reddatis libertati, decoriq; vetusto;  
Vicit iter durum pictas, & patrius ardor,  
Vicit Carpathias, facies tristissima, rupes  
Pannonidos matris, lachrymæq; per omni volutæ;  
Nec vestra in ventos abierunt irrita vota;  
Ecce gaudiu rapido gelidi sarmica Bootis  
Sarmaticiæ duces, animis ingentibus, & vi  
Indomita, & nunquam fracti virtute Tyranni  
Ismarij, atque iugum nunquam execrabile passi,  
Ad Nothon Auroramq; parant Mauortia signa

Ducere

Ducere, quadrupedes comunt in bella feroces :  
Arma æuo fessi, viridis fremit arma iuuentus,  
Ardescunt animi, languentq; cupidine belli,  
Sanguineas acuunt iras, & brachia iactant :  
Tympana, scuta, tubæ, gladij, galeæq; comantes,  
Spicula, romphææ, phaleræ, vexilla, secures  
Conflantur magna cum sedulitate virorum,  
Quocunq; aspicias lethale, incude Polona,  
Mulciber ignipotens gestit producere ferrum,  
In gladios & rastra truces, & sarcula vertit.  
Bellua crudelis nondumne cruore furorem  
Effuso satias ? nubies nondumne quiescit  
Tot riptis spoliis, variis ex partibus orbis ?  
Non satur Ægypto es, claniq; Seminamis urbe,  
Illyrici q; agris, & maiestate Pelasga ?  
Perges sacrilegis vltra fœdare lacertis  
Hungarici florem imperii, terramq; beatam ;  
Scilicet id facies : Bacchaberis orbe McGæna  
Et populos, vrbesq; dein ceu tabificus seps  
Bellua Gorgoneis implebis seu a venenis.  
Orbem terribili domitabis Turce flagello,  
Phana profanabis Diuis sacra benignis,  
Euertes anas, ritus abolebis autos,  
Scilicet id facies : potuit quæ plurima virtus  
Æsse, fuit ; nunc versa ruit retroq; fluit sors.  
Iam tibi bellipotens imponet Sarmata frænum,  
Sarmata magnanimus sceptro tibi cornua fringet,

Sarmata iam totis in prælia viribus exit,  
Sanguinea dare signa tuba iam præcipit, ardens  
Iam conscendit equos, hastas vibratq; trementes:  
Infert arma tibi; surgunt bella horrida bella,  
Bella quibus truculente ruas, trux, pestiger hostis.  
Perfide iam disces iussis parere sacrae  
Christiados, pones rabiem, dirosq; furores.  
Sceptrigem, Sismunde potens, Rex maxime Regum,  
Frangē manu hostilis colla hostica frangē Tyranni;  
Pannonius fer opem socius, miserere ruinæ  
Pannonicæ; præstos sis auxiliaribus armis  
Hungaricæ Rex magne rei, nunc porrige dextram  
Labenti populo, qui tot labentibus annis  
Bella gerit cum gente truci, patiturq; procellas  
Undiq; inundantes, sexcentaq; tela malorum:  
Sarmatiæ hic scutum fuit, & Germanidos oræ,  
Sarmatiæ ergo illi scutum & Germanidos omi  
Nunc sit, & afflictis nimium succurrat amicis:  
Sic vobis nobisq;, trucis ceruicibus Hydræ  
Et ferro & flamma exustis, penitusq; peremptis,  
Non peritura domi pax, & victoria circum  
Semper erunt, & sancta quies, sic aurea Regis  
Secula falcigeri redeunt, Astræaq; virgo:  
Sic illustre decus nostrum, celebrabitur omni  
Tempore, laurigeriq; canent facta inclyta vates.









